



**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

Sfondrati, Celestino

[S.l.], 1688

16. An Innocentius ex voto Cardinalium Bullam ediderit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62944)

sterilitas erit, si non faciant, nisi jam facta? Deinde nota est omnibus Sixti severitas, qui cum timeri vellet, temporales poenas ante spirituales habuit, maluitque curandis delictis ferro uti, quam cruce. Alia methodus Innocentio, cui cum Magnatibus pugna, & ideò Religione, non supplicijs damnandos censuit, risumque provocasset, si carceres, aut exilia, aut multam Regibus minaretur. Nec obstat exemplum Sixti, quando alia, multoque maiora exempla suppetebant, quæ Innocentius imitaretur, Chrysoptomi videlicet, Ambrosij, Athanasij, Gregorij Magni, Nicolai I. aliorumque Pontificum, quos infra memorabo.

XVI. Undecimò: (a) *Si Innocentius, inquit Anonymus, prius Consilia & vota sacri Collegij excepisset, quam Bullam vulgaret, seque tam grandi periculo immergeret; nihil simile aggressus esset, Patrum ac presertim Cardinalis Estrei rationibus victus.*

(a) *Fol. 4.*

R. Supponit Lavardinus, Bullam Innocentij, quâ Legatorum Asyla prohibentur, solo Pontificis, ejusquè domesticorum nutu excidisse, non rogatis, non auditis Cardinalium votis. At verò id tam falsum est, ut pudeat refellere. Legant Pontificis Bullam, videbuntquè Purpuratorum nomina magno numero subscripta; num verò subscriberent aut non lecta, aut non probata? major est Romæ, quàm Parisijs dicendi libertas: licet Cardinalibus & sentire & loqui, nec ullus exilio punitus, quia verum dixit; ut nuper in Regaliæ causa Parisijs factum. Illa quoquè verba Bullæ inserta videlicet: *De fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, ac prematurâ consideratione præhabitâ*, Galum falsi convincunt. Multò minùs dici potest *Cardinalem Estreum in hac causa auditum non esse.* Quis enim Estreum prohibuit, ne loqueretur? aut quando ei occasio loquendi defuit? aut quando accessu Pontificis prohibitus est? Planè excusari non posset
Car-

Cardinalis socordia, si obmutuisset, cum tam multis ex causis ad dicendum urgeretur: imò non tantùm dixit, sed etiam scripsit: at veritas & justitia causæ, vocem & calamum vicit.

XVII. *Duodecimo*: (a) *Nam, inquit, Pontificem decuit, sustinenda cause merè temporali ac politica (qualis est, quæ Asyla Legatorum spectat) sacram dignitatem, pacemq; statûs Ecclesiastici, imò totius forsan Europæ periculo exponere.*

R. Credo equidem, quando Innocentius de abrogandis Asylyis cogitavit, id primùm & ante omnia expendisse, plus boni an mali hæc mutatio pareret: nec improvisa illi pericula, quæ modò narrantur; sed tanti non erant, ut tam sanctum & necessarium opus morari deberent, idque justissimis ex causis, ut jam commemorabo, juvatq; longiùs immorari rationibus exponendis, quæ Pontificem obfirmârunt; video enim id potissimùm Innocentio objectum, ac præsertim ab Estreo Cardinali, cum votum suum

(a) *Fol. 4.*